

**A** huiusmodi, quibus ipsum Georgium episcopum notorie spoliauerat, notorieq; detiner occupatas & occupata, eidem Georgio restitueret, ipsumq; permitteret eorum possessione in posterum pacifice uti et gaudere, nihilominus idem Fredericus dux pro parte dicti episcopi interpellatus et sufficienter requisitus, hoc facere non curasset haecenus, nec curat de presenti. Quapropter attenda praemissorum excessuum et spoli notorieate et rei euidencia, idem episcopus petit per nos super praemissis de opportuno remedio sibi prouideri, et literas monitoriales contra praefatum Fredericum ducem et alios forsan occupatores et detentores ecclesiae, ciuitatis, oppidorum, castrorum, uillarum, terrarum, locorum & bonorum huiusmodi, etiam si ducalis uel alterius cuiuscunque status, gradus, uel praeminentiae essent, decerni & concedi, ipsumq; Fredericum ducem & occupatores & detentores praedictos, sub poenis iuris & constitutionis a diuae memoriae Carolo quarto contra tales facinorosos & sacrilegos editae, & alijs poenis grauioribus requiri & moneri, quatenus infra certum terminum idem Fredericus dux & occupatores ac detentores praedicti, ecclesiam, ciuitatem, castra, oppida, terras, uillas, iura & alia bona huiusmodi, quibus eundem Georgium episcopum spoliasset, seu spoliauerit, ac etiam quacunque castra & bona & post per praetactam spoliationem ad dictam ecclesiam Tridentinam deuoluta, quae detinerent seu detinent occupatas seu occupata, restitueret & restituerent, & alias sibi circa iniurias & percepta & alia debite satisfaceret, & satisfacerent, necnon se, uassallos & subditos suos et ecclesiam suam praedictam a praedictis iuramentis & promissionibus absolui, et praedictas literas cassari, irritari et annullari, humiliter et cum instatia debita postulauit & alias circa praemissa petit, & concludit, sicut in petitionibus pro parte eiusdem episcopi uerbo & scriptis, & in actis coram nobis inter dictas partes factis & subditis, plenius noscitur contineri. Nos uero per notorietatem facti, & alias praetacta in causa huiusmodi coram nobis & a nobis deputatis, nobis constitit & constat, petitionem huiusmodi fore iustam, ipsumq; Fredericum ducem & occupatores & detentores antedictos monendos, petitaq; literas monitoriales contra dictum Fredericum ducem & occupatores & detentores huiusmodi partibus ipsis auditis, & sex uarijs seruandis, praedictis partibus ad hoc legitime citatis, decreuimus fore concedendas, decernimusq; et concedimus in forma quae sequitur:

¶ Monitorium in forma debita contra ducem Austriae.

**S**acro sancta generalis synodus Constantiensis uniuersos & singulos uenerabiles fratres patriarchas, archiepiscopos, episcopos et dilectos ecclesiae filios abbates, priores, praepositos, decanos, cantores, scholasticos tam cathedralium collegiatarum canonicos, parochialiumq; rectores ecclesiarum, caeterosq; presbyteros, clericos & notarios & tabelliones publicos, per Alamanniam & Italiam et alias ubilibet constitutos, et eorum quemlibet tenore praesentis requirimus et monemus, primo, secundo, tertio et peremptorie, communiter et diuisim, eisque et eorum cuilibet in uirtute sanctae obedientiae et subscriptis sententiarum poenis districte praecipiendo mandamus, quatenus infra sex dierum spatium postquam pro parte dicti Georgii episcopi uigore praesentium fuerint requisiti, uel eorum alter fuerit requisitus, quorum sex dierum duos pro primo, duos pro secundo, & reliquos duos dies & eorum cuilibet pro tertio & peremptorio termino ac canonica monitione assignamus, ita quod in his exequendis alter alterum non expectet, nec unus pro alio se excuset, praefatum Fredericum ducem & quosunque alios ecclesiae & ciuitatis Tridentinensis, necnon oppidorum, castrorum, terrarum, locorum, ac iurium & bonorum quorumcunque ad ipsam ecclesiam pertinentium, praedictorum forsan occupatores & detentores, uassallos & subditos, etiam si ducalis aut alterius cuiuscunque dignitatis, status, ac praeminentiae fuerint, in eorum proprijs personis, si et ubi praemissorum ac infra scriptorum executione ad eos praesentias tutus patebit accessus